BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS
36779
kat. komp.
I
Mag. St. Dr.
P

... pium innocentiae.

Leopoli typis Coll. S. J.
1746.

V

B J

C

36779

I

AUCUPIUM
INNOCENTIÆ
AB EO,
QUI CIRCUIT,
QUÆRENS, QUEM DEVORET.
STYGIO AUCUPE

In Probitatis & Innocentiæ capturam
ſive ruinam, variis dolis & ar-
tibus inſtructum.

Nunc verò

In proborum Adoleſcentum, Scholas
RR.PP Soc. JESU frequentantium
gratiam & cautelam detectum.

ſive

Ad pravæ Societatis pericula exemplo
Landelini fugienda, brevis admonitio;
bonorũ omniũ lectioni & uſui cõcinata,
à R. P. GABRIELE HEVENESI
è SOCIETATE JESU.
pluries recuſa.

Leopoli *Typis Collegii S. J. A.* 1746.

BIBLIOTEKA UNIW. JAGIELLON.

Agnoſcite Dilectiſſimi, & expaveſcite conſortia eorum, qui ſalutem impediunt animarum! Horrendum penitùs ſacrilegium (Innocentiam depravare) quod ipſorum videtur excedere facinus, qui Domino Majeſtatis manus ſacrilegas injecerunt. *S. Bernard. ſerm. 1 de Converſ. S. Pauli.*

36.779
I

LANDELINUS
SEU
MALÆ SOCIETATIS INSIDIÆ DETECTÆ,

In usum

Cùm omnium integritatis amantiũ; tum innocuæ potissimùm Adolescentiæ utilitatem.

LANDELINUM, *è prima Gallorum nobilitate oriundum, hic sistimus, ea felicitate in lucem editum, ut animam sortitus bonam, jam à puero ingentes de se spes excitaret, easque etiam, ob præclaras tum naturæ, tum gra-*

gratiæ dotes, progressu temporis superaturus videretur. Vix annis cæpit adolescere, summâ ut erat indolis morigeræ in parentes ferebatur observantiâ, in superos pietate: quæque salutariâ, à moderatoribus instillabantur, avido non minùs, quàm capaci virtutis animo excipiebat. Spectanda erant in puero paululùm ephebis egresso, & vivacis ingenii mira docilitas, candidissimorum morum integritati conjuncta, & singulare imprimis liliatæ puritatis studium: quam floris instar tenerrima rigabat devotio, verecundia firmô munimine sepiebat. Talem igitur, tamque probum filium domestici suspiciebant ut Angelum, parentes chariorem oculis habebant: & quia tam auspicata adolescentiæ signa observarant, ex his, velut ex aurora diem solemus, faustum quoque provectioris ætatis cursum omina-

minabantur. Sed ó fallaces hominum spes! Non defuêre stygio hosti consvetæ artes, quibus niveam hanc columbam denigraret primum, tum planè in rete suum pertraheret. Pravos nimirum substituit socios, nequitiæ suæ fidos ministros: quorum infami consortio brevi effectum est, ut Landelinus quotidie se ipso evaderet deterior: jamq; eò juventutis æstu, & pravorum corruptelâ hominum abriperetur, ut honestas omnis, ac virtus, tanquam in charybdi quadam, naufragaretur. Jam dux, & antesignanus erat ad nequitiam cæteris, qui initiò non nisì timide sequebatur. De scelere in scelus volvitur, variisque è flagitiis catenam nectit, quâ se, & alios secum ad inferos traheret. Nihil jam in eo instillata cum lacte salutis monita, nihil imbibitus à teneris DEI timor, nihil avitæ stirpi per sce-

lestam vitam inurenda macula, nihil parentum minæ, & intentatæ pœnæ proficiebant. Hoc unum ex insita ingenuitate, per honestam disciplinam diu excultâ, remansit, ut suimet puderet ipsum, nec ferre posset oculos, nec linguas, quibus passim configebatur. Hinc desperatione, consultrice pessima, in consilium vocata, statuit, ut, quoniã inter homines famâ esset proculcatâ, in avias silvas concederet, & postquam semel cœpisset ire in præceps, in extremã se ruinam impelleret. Igitur latronum se consortio adjungit, eorûmque ipse primipilus, rapinas, & cædes agit. In eo vitæ genere aliquandiu versanti miserationis Divinæ lux è cœlo affulsit, & DEI, suique oblitum alieno exitio in propriæ salutis curam excitavit. Forte commilitonum chariorum aliquis sub eam ipsam noctem, quâ opimas prædas retu-

retulerant, improvisa morte è vivis eripitur: nemo amissionẽ chari capitis Lãdelino ferebat ægrius, nemo concepto dolori laxiores habenas indulgebat. Cùm ecce solem fugienti, luctuique demerso repentè se species objicit Adolescẽtis aligeri, cælesti facie, amictuq; pulcherimo (Titularis is Genius erat] hic vultu ad severitatem composito: quousque, inquit, miser perditum amicum flebis, quem cœlo extorrem jam Divinæ iræ vindicta comprehendit? Mox dehiscente terræ abysso, fidum, & Achatem, conspicit à dæmonibus in pœnarum barathrum abripi, dirissimis inferni flammis æternùm discruciandũ. Cohorruit enimverò ad tam triste spectaculum Landelinus; & metu propè exanimis parem sceleribus suis vindictam jamjam instare existimabat. At vultu jam sereniore trepidantem eri-

gere Angelus; amissum objicere, per infanda flagitia primævæ innocentiæ statum; multa de prava malorum conversatione, improbitatis omnis magistra, ingerere; de Beatorum æternum felici, damnatorum verò tristissima societate disserere; ad pœnitentiam tandem condignam, & reconciliandum offensum Numen adhortari. Ad hæc seria Custodis Angeli monita in se ipsum redire cœpit Landelinus; & cum amaro cordis gemitu intueri, quantùm heu! ex depravatæ societatis ductu mutatus esset ab illo, quem illibata quondam virtus cælo pariter ac terræ reddebat amabilem. Occurrebat longa patratorũ scelerum series; accusabat rea conscientia; per ora lachrymæ, contriti cordis indices, volvebantur. Ultricem dehinc scelerum suorum iram in se ipsum vertit; in asperrimis pœnitentiæ operibus,

bus, carnisque afflictationibus, in jejunnis & vigiliis, oratione & peregrinationibus omnem reliquam exigit vitam. Sed nè tanto rigori suum quoque deesset lenimen, asperitates corporis suavissimo Mariæ, Angelique sui Custodis amore condiebat. Cilicio, ac cineri ultimùm indormiens, purgatam, ut aurum, DEO animam reddidit, in vita æquè, ac post mortem miraculis clarus: & relictis ubique sanctitatis vestigiis, adolescentibus omnibus malè seductis, quomodo relegenda sit via, ut evadant ad Superos, monstravit.

Surius 15. Junii. P. Paulus Zehentner in promont. malæ spei l. 3 §. 11.

AD BENEVOLUM LECTOREM.

R*Es in aperto est, teneris adolescentum animis non aliunde graviora cùm innocentiæ, tum salutis impēdere*

dere pericula, atque à pravorum sociorum consortio. Hi, è pueritiæ annis egressis, primi occurrunt laquei, quibus tot, ac tantorum capta perit integritas. Dum vitam egêre privatam, mores præ se ferebant Angelicos, mox ut in vitam communem, velut apertum cãpum, evasêre, improborum septi turbâ ea audiunt, persvasi consiliis credunt, impulsi exemplis faciunt, quæ priùs, morte proposita cogitare, nè dicam facere, recusâssent. Sunt nimirum, ut, quod sentio, dicam, improbi hi sodales optissima instrumenta tartarei aucupis; per hos ubivis locorum insidias struit castitati, tendiculas ponit innocentiæ, cippos fabricat pudicitiæ. Pro fistula illis sunt illecebrosæ blanditiæ, pro visco obscœna verba, pro cassibus prava exempla, pro esca vetitæ deliciæ, pro fine aucupii mors, & interitus innocen-

nocentis animæ. Quare flendam tot ani- marum ruinã, sortemquè vestrã miseranti, ô Adolescentes integerrimi; vobis inter tot improborum offendicula incedẽtibus, Landelinum hunc comitẽ adjungere placuit, qui laqueos, & insidias detegat, quas ipse tùm lubricæ ætatis impetu, tùm pravorum maximè sociorũ impulsu malecautus incurrit, nec nisi adjutrice Custodis Angeli opera ex iisdem se extricavit. Vos alieno periculo cautiores evadite; ævi rete agnovisse, effugisse est, Psalmista testante Frustrà jacitur rete ante oculos pennatorũ. Quidni pravorum sociorum detexisse ingeniũ, fraudes & malignas artes digito mõstrâsse, perinde erit, atque vestram periclitãtiũ innocentiã ab exitio præservâsse? Agite igitur, amicum hunc vobis hospitem, & viæ ducem benevole excipite, & illius ductu securi florentis ætatis semitam inoffenso pede decurrite.

CA

CAPUT I.

Mali ſocii ſunt ſtygii aucupis allectrices aves.

APollonius Thyanæus (teſte Alex. ab Alex. l. 4. c. 7) hoc unum à Diis petiiſſe fertur: *nôſſe bonos, malos vitare*. Quantò ſapientiùs idem à DEO precabitur adoleſcens Chriſtianus: bonos nimirum & nôſſe, & imitari, improbos & odiſſe, & fugere. Ut verò, quod ſæpe difficile, malè feriatorum hoc hominum genus diſcernere liceat, non tam vultus, quàm mores, animi indices, inſpiciendi ſunt: & deprehendemus nonnullos tam profeſſæ impietatis, & nequitiæ, ut

ut prima fronte flagitiorũ licentiam vendere non erubeſcant Atque à ſimilis farinæ ſodalibus ſe juvenem depravatum Auguſtinus ſenex deplorat l. 2. Confeſſ c. 3. 9. & 10. Præceps ibam, inquit, tanta cœcitate, ut inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, quàm audiebam eos jactãtes flagitia ſua, & tantò gloriantes magis, quantò magis turpes eſſent. Libebat malum facere, non ſolùm libidine facti, verùm etiam laudis. Quid dignum eſt vituperatione, niſi vitium? Ego nè vituperater, vitioſior fiebam: fingebam me feciſſe, quod non feceram, nè viderer abjectior, quò eram innocentior, & nè vilior haberer, quò eram caſtior. Ecce cum quibus comitibus iter agebam platearum Babyloniæ, & volutabar in cœno, tanquam in cinnamomo, & un-

guentis pretiosis. O nimis inimica amicitia! At non adeò metuendi hi sunt timoratis mentibus; nisi me fallo, pauci sunt, qui cùm malè egerint, gloriari audeant in rebus pessimis; jamque adeò profundo hæreant, ut vitiosi esse non modò velint, sed & videri.

Eorum magis extimescenda vafrities, qui sub columbino candore milvum tegunt, & in quorundam familiaritatem eò blandiùs se primò insinuant, quò deinde pernitiosiùs instigant ad pessimam libertatem. *Allectrices volucres* non immeritò dixerim, quæ cùm ipsæ jam à stygio aucupe teneantur captæ, alias quoque fraudis nescias, fallaci modulamine in laqueos pertrahunt, & retia. Videas Adolescentes improvidos & simplices, suavissimis linguæ perfidæ de-

lini-

linimentis ab iis mulceri: vocantur Fratres, Amici, Achates, fidiſſimi Sodales. Offeruntur officia, promittuntur obſequia, prætenditur utilitas literaria, obtruditur palpus, oblinitur fucus, glaucoma obducitur oculis, donec fallacem in modum, & nodum infelices implicentur, ereptóque pluméo illo innocentiæ vellere in prædã cedant Cacodæmoni. Quid ſuaviùs allectricibus illis vocibus: *Veni nobiſcum &c. Sortem mitte nobiſcum; marſupium ſit omnium noſtrûm.* O deceptrices voces! cave feſtinus advoles, & perfidis volucribus te aggreges. Revocantem Spiritum Sanctum audi: *Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, nè aquieſca eis. Si dixerint: veni nobiſcum, nè ambules cùm eis: prohibe pedem tuum à ſemitis eorum; pedes enim illorum ad malum currunt.* Prov. 1. c.

Ex

Ex cantu quoque facilè agnoſcat molles illas, ac turpes Veneris aves, dicentes: *Venite, & fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creaturâ, tanquā in juventute celeriter. Vino pretioſo, & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant, nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Upuparum hi ſunt moduli, in luto turpitudinis deliteſcentium Nec damnoſa minùs eorum cantilena eſt, qui, ſicut pietatem omnem cum honeſtis artibus fugiunt, canéque pejus, & angue averſantur; ità quoque coætaneos ſuos ad non diſparem viæ licentiam pellicere conantur. Vis nôſſe diras has, & infauſti ominis aves? *Ex fructibus eorum cognoſcetis*, ait Servator, Math. 7. Non ſolùm vo-

cis,

cis, ſed operum quoque attende notas, quas præferunt illi ætatis teneræ corruptores. Si qui otio & deſidiæ dediti ſolem ſtertendo excludunt, ſi literas pertæſi pro Scholis frequentant popinas & ganeas, ſi compotationibus & ſympoſiis indulgent liberiùs, ſi familiariùs ambiunt fæminarum conſortia, ſi prætextata verba crebriùs effutiunt, ſi ſcurrilibus dictis aures inficiunt, ſi neglecto penſo Scholaſtico excuſationes medaciis fulciunt, ſi bonorum congreſſum fugiunt, malorum ambiunt, ſi parentum moderatorumque diſciplinam excutiunt, ſi nocturnis graſſationibus aſſueti ſe fortivè domo eripiunt, ſi Marianis conventibus, piíſque adhortationibus ſe ſubtrahunt, quin correctionibus etiam reſiſtere protervè, bona conſilia exſufflare impuden-

denter, serium nihil moliri, & quæ horum sunt similia, sinè fronte perpetrare audent, ohe! *hi nigri sunt, hos tu Romane caveto*. Prædatrices vultures sunt; candori tuo & innocentiæ tendiculas parant; periisti, si invitantium vocibus obsequaris. Sed quia noverunt, neminem repentè fieri pessimum. sensim sinè sensu vitia instillant. Seductionis principia plerumque apparent casta, honesta, pudica: verecundia præfertur verbis, modestia in moribus, comitas in officiis, communicatio in studiis, simulatio in pietatis exemplis; non secus, ac faciunt aucupes, tegunt dolos viridibus ramusculis: primò circumvolant, deinde circumsiliunt aviculæ, sparsim granula carpunt; avolant, revolant (nam illices cantu vocant) donec implicatæ reti symbolam solvant

au-

aucupi. Ità omnino se res habet cum seductrice consortio. Invitantium deliniti bladimentis Adolescentes, subtimidè primùm se jungunt suspectis sociis: paulatim assuescunt familiaritati; absterrentur quandoque iterum, seu arguente interiùs conscientia, seu externo monitore perculsi. Canit rursus auceps, aut ejus allectrices aviculæ; redit iterum incautus adolescens, sed furtivè, & non sinè metu: donec sensim minùs & minùs caveat decipulam, quia semel atque iterum sinè pudoris detrimento elapsus. Factus tamen indè liberior ad sequiora sectanda, fastidiosior ad virtutis exercitia, incipit partem de consuetis precibus decerpere, in literarum & pietatis studia segniùs incumbere; rariùs in se ipsum descendere; lusus inter & cyathos incalescere crebriùs; oculos

cujos curiosiùs in alienas formas obliquare: ità paulatim ex scintilla fit flāma, ex rima ostium, ex guttis inundatio navis, uno verbo, adolescens probus & innocens, modestus in gressu, verecundus in vultu, moderatus in victu, circumspectus in visu, qui puras antè ad cœlum tendebat manus, ore innocens fundebat preces, majoribus erat solatio, æqualibus exemplo, inferioribus venerationi, velut incātationibus fascinatus ex turture fit milvus, ex columba vultur, ex Angelico juvene, socius diaboli. Meritò talis, ubi jam undique se inextricabilibus laqueis conclusum videt, illud Jerem. Thren. 3. ingemiscat: *Venatione ceperunt me.* Sed sera plerūque nimis illa cantilena est: *Societas mala me perdidit*! decepti sunt, quia decipi voluerunt, ad saniora consilia

surdi

ſurdi, auriti nimiùm ad pravorum hominum invitamenta: hinc magnâ infortunii partem, non tam alienæ improbitati, quàm ſuæ ipſorummet malitiæ imputent, eſt neceſſe.

CAPUT II.

Mali Socii pravorum colloquiorum viſco implicant.

QUod avibus ſunt virgæ viſco illitæ, hoc prava improborum colloquia ſunt audientium animis. Hinc Petrus Damianus, Sanctitate, & doctrinâ clarus, linguam impuram eleganter turdo confert, cui idem, quod alimento, hoc etiam exitio eſt: nempe ex eo, quod edit, & egerit, viſcus provenit, quo & ipſe, & aves cæteræ capiuntur: ità prorſus impudicè garrulus viſcum excernit ore, quo lo-

loquentem simul cum audientibus stygius auceps agglutinat. *Nolite seduci: corrumpunt mores bonos colloquia prava*, monet Apostol. 1. Cor. c. 15. Ah quanti juvenes hoc uno fatali glutine implicati sunt! labem integritatis, & mortem animæ, quam cæteris fortè sensibus arcebant, hauserunt auribus. Verè *vita & mors in manibus linguæ sunt.* Prov. 28. & plerumque illâ, tanquam instrumento, diabolus utitur ad mentes innocentiũ inquinandas. Ex melliflui Doctoris sensu Sermone de 7. Spirit. *Uti sunt elingues & muti; sic etiam sunt facundi & laquaces diaboli:* inter hos signifer est lascivus dæmon, cujus officiũ est colloquia his verborum spurcitiis aspergere, inverecundos sales ubique miscere. Guilielmus peraldus Lugdunensis Antistes Serm. 24. in Cantica,

impu-

impuros ſermones *diaboli ſputa* com-ſellavit, quæ non tam ſuo, quàm ob-ſcœnorum Fabulatorum ore evomit, diſque tanquam viſcoſis, & ſulphuratis inferni tædis mentes caſtas inquinat pariter, & in impuros ignes accendit. Quid verò aliud à procacibus flagitioſorum ſociorum linguis expectes, niſi ſermones ſordibus plenos, qui os ſuum diabolo pro nido locârunt, ex quo ſibilans tartareus coluber venenum afflat? quò fit, ut verborum turpium licentia non in loquentis tantùm perniciem vergat; ſed eos etiam, qui hæc talia loquentem audiunt, aſpergine lutulenta inficiat, paulatímque pudor omnis per verba evaneſcat. *Unus eſt*, inquit Bernardus Serm. 24. in Cant. *qui loquitur, & unum duntaxat verbum profert, & tamen illud unum verbum, uno in*

momen-

momento audientium, dum aures afficit, animas interficit. O quis præco severum quidem, dudum tamen antiquatum Pauli præceptum, ea vocis contentione, intonet, ut non modò ad omnium pertingat aures, sed animos quoque altissimè penetret! *Omnis,* inquit ad Ephes. c. 4. *omnis sermo malus ex ore vestro non procedat. Omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet.* Audîstis procaces loculeij? *nec nominetur in vobis.* Nam uti optimè Tullius: pudici, ait, etiam cùm de pudicitia loquuntur, erubescunt; & siquidem rem odisse debemus, etiam ipsa rei nomina nobis sunt aversanda. Fœdum piaculum foret, sacros calices in profana liquare pocula, publicisque temulentorum sym-

ſympoſiis inferre: & nefas non ſit Deo, ſuperiſque deteſtabile, ſi quis ore ſuo, per quod Dominicus Angelorum panis toties infertur, petulanter abutatur ad propudioſas narratiunculas; turpes jocos, cantiones cyprias &c. & animi ſui veſtibulum, quo Divina Euchariſtia excipitur, in lupanar mutet, & proſtibulum diaboli? Impium ſcelus, linguam, cœleſtis epuli ſedem, Veneris facere interpretem. *Condemnabit te os tuum,* Job. c. 15. *& labia tua reſpondebut tibi.*

Refert Plinius lib. 15. c. 8, ſterileſcere oleam, ſi eam capra linguâ tondeat, aut lambat tantùm. Sanè ſi olidus caper talis, illoti oris ſocius, colloquiis interveniat, juvenum animos, velut adoleſcentes oleas facillimè ità corrumpit, ut, quod ſemel malè audierunt, ejus per omnem vi-

tam pessimè recordentur. Quod audire delectat, celerrimè excipitur, eóque graviùs nocet, quò suaviùs instillatur: & quamvis non statim officiat, semina tamẽ in animo relinquit, sequitúrque auditorem resurrecturũ postea malum. Bernardinus, dolescens Nobilis, patriâ Senonensis, tam verecundus à puero fuit, ut, quoties sordidum ejusmodi verbum audîsset, non aliter colorem duceret, quàm si quis ei vultum colapho percurrisset. Unde coævi pueri, si quando minùs honesta locuti, viso eo: tacete, dicebant, tacete! Bernardinus venit. Æmulus Bernardini extitit Stanislaus Kostka, è nobilissima Polonorum familia oriundus; qui cùm teneræ adhuc ætatis puer paternæ adhiberetur mensæ, in qua convivæ nonnunquam, militaris præsertim genii homies, liberioribus

sali-

ſalibũs, & facetiis epulas condiebant, graviùs illæ accidebant Stanislao, quã ut caſtæ ipſius aures ferre poſſent. Hinc mutare primùm vultum, oculos cœlo defigere, ſaxi inſtar immobiliter hærere; & niſi orſam ſermonis telam abrumperent hoſpites, ſubeunte deliquio, prono in terram capite proruere. Quare ſolicitus deinceps Parens, enaſcentes ejusmodi ſermones aut dextere aliò derivare, aut amicè etiam monere coactus eſt, amore Stanislai deſiſterent, brevi alioquin viſuros, ità Stanislaum oculis cœlo defigi, ut capite in terra luat. *Bartoli in vita.* O utinam plures hoc ævo Bernardinos, plures Stanislaos haberemus, qui acetum porrigant ore tam illoto garrientibus! Non eſſet ſaltèm, quo nos ethnici confunderẽt, & verò etiam aliquando ad ſeveriſſi-

mum DEI tribunal damnarent. O Clitomache, ô nobilis athleta, ubi es? qui, ſiquis ſermones injeciſſet amatorios, ſurgere ſolebas, & diſcedere. Plurarch. l. 7. quæſt. Con. 7. Et tu igitur, ô adoleſcens Chriſtiane, ſi importunior aliquis lutulentas facetias, laſcivos ſales, cantiones amatorias, aut verba prætextata jaciat, repercutias illum ſæviore ut minimùm vultu; aut cũ Clitomacho ſubtrahas te ab ore impuro; ſiquidem immunis evadere velis ab hac aurium, imò animi macula. Stat enim firma Epicteti, gentilis licèt, Chriſtianè tamen ſentientis authoritas, in Enchir. c. 55. *Periculoſum eſt*, inquit, *ad oris obſcœnitatem progredi*. Viſco quippe ſimilimus eſt obſcœnus ſermo; vel leviter attactus inquinat: & contingit plerumque turpi hoc glutine intricatis, quod

avi-

avibus ſolet in viſcatas virgas incautè impingentibus: quæ quantò magis explicare ſe conantur, tantò tenaciùs alias implicant: dum luctantur, dum nituntur, pennas plures inficiunt, hærent præda aucupi, gulæ victima. *Sepi aures tuas ſpinis*, monet Siracides c. 28. *& linguam nequam noli audire.* Claudendæ ſunt aures impuris vocibus, & quidem primis: nam cùm initium fecerunt, admiſſæque ſunt, plus audent, infeſtantque importuniùs. In perpetua apud te ſtatione rubor excubet, verecundiæ ſignum, caſtimoniæ præambula, certáque teſtis: oſtende ſaltèm pulcherrima hac immutati oris purpura tibi diſplicere, quod DEO nunquam placere poteſt, nec volupe tibi eſſe audire, quæ facere erubeſcis.

CAPUT III.

Mali socii perniciosæ familiaritatis laqueis irretiunt.

VErissimè pronunciavit Sanctus Ephrem de anima orcinis retibus illaqueata: *Quæ primum capta est* (scilicet à diabolo) *anima, ad alias decipiendas fit quasi laqueus, ut voluntati inimici obsequantur.* Atque ùt Pòéta canit 14. Metamorph. *Deceptaque decipit omnes.* Quis non videt, seductricis societatis hanc unicam esse operam, quam tartareo aucupi impiè navat, plures & plures in retia impellere, séque ipsam tot scelerum ream facere, quot innocentes animas in perniciem agit? Nunquam tamen periculosiores struere pedicas, aut laqueos tendere censenda est, quàm quando malè officiosa incautioribus

ultro viam aperit ad ſubintrandam cum ſexu diſpari familiaritatem. Dudum illam damnavit magnus Baſilius, non quia ipſæ mulieres ſint malæ, ſed quia earum familiaritas. *Dãda*, inquit, *eſt opera, ut mulierum colloquia funditus fugiamus:* in Conſt. Monaſt. c. 4. Et S. Hieronymus ad Nepotianum: *Memento*, ait, *quòd paradyſi colonum de poſſeſſione ſua ejecerit mulier.* Remove paleas, nondum extinctus eſt ignis, clamabat emortua propè voce ad mulieris præſentiam Urſinus, uti refert Gregor. l. 4. c. 11. Quid ſi ipſa ſeductrix ſit mulier, & illaqueare attentet innocentes? Tum enim verò audiendus eſt Eccleſiaſtes c. 7. *Inveni amariorem morte mulierẽ, quæ laqueus venatorum eſt, & ſagena cor ejus, vincula ſunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam, qui autem*

peccator est, capietur ab ea. Talis mulier quot membra, tot infernalis aucupis circumfert instrumenta, uti scitè in dictum caput Ecclesiastis animadvertit Hugo Cardinalis. *Nec est,* inquit, *una mulier unus laqueus venatorum; imò quot membra, vel mēbrorum ornamenta habet: ita, ut à plāta pedis usque ad verticem, non sit in ea videre nisi laqueos.* Sunt enim verò laquei in crinibus ad luxum comptis; sunt laquei in oculis, quibus capti plures meritò suspirent: *Ut vidi, ut perii! ut me malus abstulit error.* Judith certè Hebræorum Amazon aucupii huius non ignara [meliore tamen mente] de Holoferne dixit: *Capiatur laqueo oculorum suorum in me.* Judith c. 9. Sunt laquei in lingua mel & favum distillante; sunt laquei in genis fucatis, corallium & rosas mentientibus;

tibus; ſunt laquei in manibus auro & gemmis relucentes annuli, & *dextraꝛiola*, & *lilia*. Judith c. 11. Sunt denique laquei in pedibus ad numerum ſaltitantibus. Docuit hoc Herodias ſaltans, & Regem in inſanum amorē pertrahens. Docuit memorata Judith, quæ ſandaliis, ſeu calceolis ſericis Holofernem, orbis terrorem cepit. *Sandalia rapuerunt oculos ejus, pulchritudo ejus captivam fecit animam ejus*. Judith c. 16. Si viri capiuntur laqueis hiſce, quid adoleſcentibus fiet? Verendum ſanè, nè, dum retia ſponte, & crebriùs ſubeunt, in naſſa tandem hæreant cum infelici illo Erneſto, qui Anno 1633. Herbipoli in Frāconia inter Principis Joannis Adolphi ephebos numerabatur. Erat hic adoleſcens ſangvine nobilis, familiæ ſuæ unicus hæres, ingenio adeò vivido,

vido, ut primam in ſcholis palmam ferret: ſpecie eleganti, & formâ Angelicâ; quem ingenui inſuper mores, & ardens pietas, cæleſtisque gratia, velut flammula in virginea cera relucens, omnibus amabilem reddebāt. Literis totus intentus, aut ſacris in ædibus abditus, nulli ſe graviùs labendi periculo exponebet. Fœmina denique, & quis credat? ſanguine juncta adoleſcentem innocuum doloſis laqueis cepit, irretivit, perdidit. Solebat hæc, quodam cognationis jure, ſæpius in domum ſuam invitare juvenem, & objectis omnis generis cupediis ad guſtum illius facientibus, eò tandem per infamem conſuetudinem deducere, ut jam ſinè fronte in omnia ſcelera rueret; alieno pudori inſidias tenderet; corpus & animam devoveret dæmoni; nocturnis veneficarum inte-

interesset conventibus: cæde & sanguine cruentaret manus, plurimósque alios secum in nefanda flagitia pertraheret. Agebatur anxiè de adolescentis remedio, qui non unum supplicium promerebatur. Frustrà omnia. Sinè ullo tandem pœnitentiæ signo sub ferro carnificis cecidit, utinam non iisdem in infernum laqueis denon tractus, quibus à fœmina, diaboli emissaria, in omne nefas, ipsiúsque mancipatum dæmonis fuit pertractus. O Adolescentes, ubique inter laqueos & pedicas inceditis! nuspiam tamen integritati vestræ minùs cautum est, quàm cum pellaci mulierculārum cōsortio miscemini. Jobum attendite, qui incautiùs proruentes submonet c. 18. *Abscondita est in terra pedica ejus, & decipula ejus super semitam.* Hanc probæ sinè teste semitam ingredi, est

se

ſe velle in laqueos, & decipulam induere. Propè profectò aberat, quin hac decipula implicaretur Joannes Godefridus, adoleſcens caſtiſſimus, poſteaque Bambergenſis, & Herbipolenſis raræ virtutis Epiſcopus. Fuit is liberali admodum & venuſta facie, ità tamen, ut in eo nobiliſſimam fecerit mixturam pudicitia & forma. Hoc ejus virgineum decus cacodæmon, auceps vaferrimus, iſto ſibi ſtratagemate ſumpſit deprædandum. E Gynæceo fæminæ magni Nominis, inſigni juvenis pulchritudine in benevolentiam parùm pudicam inflexæ, ad convivium Godefridum ſpecie honoris vocârunt. Adeſt vocatus, nec tamen ſolus [ut res tam periculo careret, quàm ſuſpicione] ſed unà ſecum vitæ ſuæ moderatorem adducit. Hunc præ omnibus benignæ invitationes,

tiones, & crebra pocula petebant. Hoc enim nequiſſima vafritie agebatur, ut is omnium minimè greſſum è domo moliri poſſet, qui primus deberet; itáque cogeretur cum commiſſo ſibi juvene illic pernoctare. Res è voto ſucceſſit: nam probè appotum, & jam vacillantibus veſtigiis, articuliſque ſubſidentibus, labentem in proximum conclave blandè cubitum trahi juſſerunt. Ità & juvenis ea nocte pedem domo efferre prohibitus eſt: & quia nil mali ſuſpicabatur, ipſe quoque ad lectum tali hoſpite dignum deduci ſe paſſus eſt. Cùm verò adulta jam nocte quies, & ſilentium teneret, cubiculum ſopiti juvenis furiæ illæ libidine accenſæ laneo paſſu irrepunt, jámque proximæ lecto quà verbis, quà geſtibus adoleſcentis innocentiam ad flagitium in

vitant. Hìc castissimus juvenis, velut ad stygii monstri aspectum evigilat, & mox horrendùm vociferans, è lecto, ut erat lineis solùm femoralibus, & indusio vestitus, prosilit, impuris manibus semet extorquet, & omni veste alia relicta, ex insidiosa domo evolans, in vicini ædes, velut in asylū transfugit; ubi reliquum noctis, inter preces & gratiarum actionem pro obtenta castitatis palma exegit. Ità Drexelius in Niceta l 2. c. 4. § 4. Cavete, ô adolescentes! quibus pudicitia cordi est, infames has venatrices, nocturnas lamias! Evadetis feliciter laqueos & tendicula, si oculata vobis fuerit circumspectio, suffragante divino oraculo: *Frustrà jacitur rete ante oculos pennatorum*, Proverb. 17. O quàm rectè exclamere potuit Godefridus; *Anima nostra sicut passer ere-*

erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Psal. 123. Cautior deinceps effectus, quas technas & laqueos semel evasit, nunquam timere desiit. In domum suspectam alia vice invitatus: malim, inquit, leprotrophium subire, & cũ leprosis cœnare, quàm vel semel castitatis periculo ædes illas ingredi. Et sanè plerisque adolescentem ut præstabilius, sic tutius foret inter contagiosos versari, & non infici; inter senticeta ac spinas incedere, & non vulnerari, inambulare prunis candẽtibus, & non aduri: quàm inter muliebres versari blanditias, & non irretiri. Raros Samsones reperias, qui fallaces hos laqueos, ut telas aranearum rumpant: raros Josephos, qui relicto pallio se manibus Dominæ eripiant: raros Nicetas, qui præmorsam lin-

linguam in lenocinantium faciem jaculentur, nè illecebrosis nexibus capiantur, raros Thomas Aquinates, qui cyprias has aucupes ardenti titione arceant, ut laqueos evadant. Hinc in fuga plerisque tutior est innocentia: nec luctando sæpius, quàm declinando vincit, & triũphat castitas laureata.

CAPUT IV.

Mali socii odore pravi exempli trahunt.

QUod de Israëlitico quondam populo in captivitatem Assyriam abducto, variorúmque ibidem scelerum, idololatriæ præsertim contagione infecto Oseas Propheta c. 7. questus est: *Factus est*, inquit, *Ephraim quasi columba seducta, non habens cor:* hoc iisdem penè verbis usurpare possim

ſim in ſocietatem pravam, & innocuæ juventutis ſeductricem. O quot ſunt tales *columbæ ſeductæ* per acherontici aucupis præſtigias, quæ deinde, quod lachrymis dignum, ſeducunt quoque & alias, *Cor non habentes*, ſicut columbæ ſtolidiæ, quæ, licèt videant quotidie pullos ſuos capi, jugulari, vorari; hominum tamen amicitiam conſectantur, séque ultro eis diripiendas præbent: ità vecordibus iſtis parùm eſt, quòd ipſi in caſſibus diaboli hæreant exitio proximi, ſed quotquot poſſunt, alios in eandē naſſam pertrahere conantur, ut contorto tandem collo ſimul fauces ſaginent inſidiatoris infernalis. Nimirum quemadmodum columbæ unguento fragranti, ac balſamo alas delibutæ trahunt alias in odorem, & columbarium, ubi captæ necquicquā ge-

gemunt, eundem in modum seductores pessimi, foris quidem totam Arabiam spirantes, intus tamen mephitim deterrimam ocultorum scelerum halantes, exemplo malo in odorem malè olentium vitiorum alliciũt. Est quippe tanta perversi exempli vis, ut, si bonus malo societur, bonus esse continuò desinat. *Cum sancto sanctus eris, cum perverso perverteris*, ait coronatus vates. Psal. 17. Nemo vitia persuadet efficaciùs, quàm qui docet exemplo; verissimè Seneca: *Versat nos, inquit, & præcipitat traditus per manus error, alienisque perimus exemplis. Nemo sibi tantùm errat, sed aliis erroris causa, & auctor est.* Vix Eva in paradyso deliquit, & mox in societatem peccati attraxit maritum; quasi solatium sit improbis non solos, sed cum socio.

peri-

perire. Percontatus est quondam Sinesium Cirinensiũ Præsulem Andronicus vir inclytus, & recti tenax: fieri ne possit, conversari cum hominibus timore DEI exutis, & justum inter eos, ac probum permanere? reposuit ille (ut ex ejus epistola 57. constat) non tantùm id homini difficillimũ esse, qui Adami hæres congenito sibi luto, & contaminatâ ab origine carne vivit, sed nec ipsis Angelis viatoribus id fuisse indultum: nec enim perseverârunt in justitia, mali enim in cœlo & rebellibus associati. Unus superbus Lucifer quantum exemplo suo sanctissimorum Spirituum agmen traxit in sequelam! Solus sol est, qui radiis suis immaculatis paludes & lacunas putridas impunè transit, & nullum radiorum capillum lædit, nec unicâ cujusvis camerinæ aut

fœditatis guttulâ, tanquam turpitudinis aspergine polluitur. At verò hominum gloriari quis poterit, se die integra picem tractâsse absque inquinemento? Quis superbire præsumat, se carbones versâsse manibus, & nihil fuliginis adhæsisse? Reclamabit illi Spiritus ipse veritatis Eccl. 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicaverit superbo, induet superbiam* Scimus quidem, sed semel duntaxat prope montem Horeb rubum flammæ capacem arsisse, nec combustum esse: sed hoc Divinæ omnipotentiæ, non humanæ fragilitatis opus est. Verùm est: inter Sodomitas Lothum, Jobum in terra Hus inimica DEO, Abraham in Chaldæa immaculatum perseverâsse: sed rara hæc, & portento similiora. Tres jactas in medio nationis pravæ peccati

immu-

immunes; at centum, & mille opponi possunt, inter perversorum procellas & fluctus naufragi. Tu verò, si Loth, aut Job, aut Abraham es, caput & manum eleva, & applaudemus tibi: *hic vir, hic est!* Pauci sunt, qui absq; tegumento sub Jove frigido stant nimbis defluo, & se ab omni gutta defensos jactare audent. Rarus nostrûm tam felix est, ut velleri Gedeonis assimiletur, quod sub roscida cœli pluvia stetit intactum. Neque ulli facilè in media improborum colluvie liberè velificanti subscribere poteris: *Tangor, non tingor ab undis.* Quisquis diu, multumque inter exteros vivit, nisi oppidò hebes sit, eorum linguã, & idioma addiscit; ità, qui diu inter impios, impietatem: qui inter impuros, turpitudinem: qui inter blasphemos, ejusdem dialecti homo eva-
 dit.

dit. Atque ideo Divinus præco Moyses Num. c. 16. proclamat: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, nè involvamini peccatis eorum.* Sumuntur enim, ut rectè advertit Seneca l. 3. de ira. c. 8. à conversantibus mores; & ut quædam in contactos corporis vitia transiliunt, ità animus mala sua proximis tradit. Ebriosus convictores in amorem vini traxit: impudicorum cœtus fortem quoque & siliceum virum emollit, avaritia in proximos virus transtulit, Hæc ille. Et quidem ità ferè comparatum est, ut, cùm bonus improbo se jungit, non improbus à bono emendetur, sed bonus ab improbo contaminetur. *Dum spectant læsos oculi, læduntur & ipsi.* Ovid. Non contra verò lippientes, aut suffusi oculi à sinceris aliis,

& lim-

& limpidos radios vibrantibus acuũtur. Ut verò ad columbas redeamus; refert Suidas, columbam exoculatam ad aucupandum in reti poni, quæ subsultans & in reticulo ludens, seque illaqueans invitat cæteras. Nemo nõ videt, pellacium hic sociorum insidias denuo adumbrari; qui velut columbæ exoculatæ, id est, turpi cupiditate obcœcatæ, postquam in impudicæ vitæ consuetudinem, tanquam in cassem, inciderunt, eò demum impudentiæ prolabuntur, ut gaudeant ad lascivos numeros subsultare pedibus, Fescenninis jocis provocare risus, fractiore voce titillare aures, molliore gestu blandiri oculis, procaci morum levitate effæminare animos, rapere affectus, incautos tandẽ irretire adolescentes. Cavete simplices columbæ, quibus primævus ad-

huc candor eſt, & pennæ deargetatæ: *ſeductas* has & *ſeductrices* volucres, dum exemplo prævolant, nè ſequamini: non procul ab iis aucupem abeſſe credite, aut accipitrem infernalem. Fugite potiùs ad *foramina petræ, & cavernam maceriæ* Cantic. 2. *In quibus paſſer invenit ſibi domum, & turtur nidum.* Pſal. 83. Vulnera ſcilicet Chriſti, tutiſſimum ſalutis, & innocentiæ veſtræ contra tartareos milvos aſylum. Anima quippe, ut explicat Doctor Angelicus Opuſc. 60. tunc in vulneribus Chriſti ſedet, & nidificat, cùm in paſſione Domini ſpem ſalutis ſuæ ponit, & per hoc ab inſidiis accipitris, id eſt, diaboli, ſe tuendam confidit. Et S. Bernardus Sermon. 16. in Cantic. *In his,* inquit, *foraminibus* (nempe vulneribus Chriſti) *ſe columba tutatur, & circumvolentem accipitrem intrepide intuetur.*

CAPUT V.

Mali Socii vetitarum oblectationum escâ decipiunt.

FRustrà sæpe se, fistulamque fatigaret auceps, si viridi latēs tētorio solo cantu in fraudem inducere volucres meditaretur; esca projicienda est, spargenda semina, diversis provocanda gula irritamentis. Hæc dum famis, vitæque fomentum quærunt, mortem glutiunt brevi fauces interclusuram. In qua quidem fraudulenta asturia expressum habes Sanctorum ingenium: nôrunt illi operam perdi, siquis solis verbis pascere intendit: objiciendam esse offam, quâ gustus proritetur, cupedias apparandas, quibus affectus capiatur, cumulanda munuscula, quibus animi inescentur Sed nempe sua quemque trahit voluptas.

Aliis pinguiorum mensarum arrident lautitiæ; alii fœcundis calicibus & falerno inhiant: aliis in choreas & saltus pedes pruriunt: alios recreationum, & lusûs immodicus amor abripit: alii denique prohibitarum voluptatum dulcedine inescâtur. Hìc demum perditorum hominum desudat industria, ut, quæ ad salivam maximè faciunt, blandissimè obtrudant, & quæ cujusvis genio ampliùs arridere advertunt, ea oculis, & auribus quàm largissimè propinent. Ah! cave malecauta juventus! sub esca latent insidiæ, sub cupito cibo lethale toxicum, sub dulcedine amara mors. Vilissimarum oblectationum depromunt illicia, ut pretiosam capiant animam; vix primis labris mellitas degustabitis delicias, & felleum abire in amarorem sentietis. Cogemini in lamenta-

mentabilem illum lessum prorumpere, in quem Regius adolescens Jonathas post degustatum contra legem paternam favum mellis, prorupit: *Gustans gustavi paululum mellis, & ecce morior!* Frenum profectò aviditati nostræ injiceretur, si cum D. Bernardo altiùs expenderemus triste illud: *Momentaneum est, quod delectat, æternum, quod cruciat.* Dum blanditur oculis illecebrosa voluptas, jam magna sui parte præteriit; dum teneri putatur, elabitur. Quod ipsum lamētantur damnati in libro Sapientiæ, cō quòd voluptates eorum transierint sicut avis volans, ut navis, & nuntius præcurrens, ùt nubes, ùt fumus, ùt nebula fugata à radiis solis. *Ecce momentaneum est, quod delectat!* Non ità tamen brevi termino circumscribuntur cruciatus & dolor, quos vo
lupta-

luptatum escæ tam avidè devoratæ progignunt, quando, quod hodie dulce est ùt nectar, & ambrosia, cras in acetum, fel, & vappam degenerabit: *æternum, quod cruciat.* I, malecaute juvenis, aucupare caducas, fluxas, viles, instabiles, ac propè momentaneas in creaturis oblectatiunculas, amplectere suspecta sociorum dona, inescare objectis eorum cupediis! & experiêris brevi, nullam peccati voluptatem adeò puram, meram, sinceram, ac liquidam esse, ut non multis molestiis, doloribus ac amaritudinibus probè diluta, in mœrorem & afflictionem spiritûs migret, quæ animũ exulcerent, conscientiam torqueant, curas ac solicitudines, velut aculeos, pariant, metus & terrores accersant, ac denique in miserandos sæpe casus, & lamentabilem mortem corporis ac

ani-

animæ præcipitent. Juvat ipsum Spiritum Sanctum Ecclesiasti c. 11. ironicè, & cum sarcasmo invitantem audire: *Lætare ergo juvenis*, ait, *in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ; & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum; & scito, quòd pro omnibus his adducet te Deus in judicium.* Quid est lætari in adolescentia, nisì frui illis, quæ voluptuosa sunt, & animo oblectationum cupido lætitiam pariunt? quid est, in bono cor esse, nisi effectui dare id omne, quod cordis anhelant desideria? quid est, ambulare in via cordis sui, nisi divinarum legum transiliendo limites, per omnes voluptatum semitas evagari? quid est ambulare in intuitu ocolorum suorum, quàm sequi, & apprehendere, quod oculi vident pulchrum & delecta-

lectabile? Sed attende, quod subnectitur: *Et scito, quòd pro omnibus his adducet te DEUS in judicium.* In quo strictissimo justitiæ foro, vel una sæpe evanidæ voluptatis mica cum Divinæ legis prævaricatione degustata, æterno amarore compensatur. Ream in hoc judicio Evam considera, primam omnium in mundo seductam, & seductricem: cujus oculos cùm aucupum more per prohibitam escam solicitâsset, callidus serpens: *Vidit mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo, qui comedit.* Sed eheu! pomum dedit viro mulier, quid vilius? & paradysum rapuit. In pomo uterque mortem animæ vorârunt, juxta comminatoriã illam judicis sententiam: *De ligno*

autem

autem ſcientiæ boni & mali nè comedas; in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.

Lyſimachum Thraciæ Regem memorat Plutarchus in Apophteg. Regum, ob ingẽtem ſitim, aquæ ſcypho ſe, regnúmque ſuum hoſti tradidiſſe: epotâ verò aquâ exclamâſſe dicitur: DEUS immortalis! quæ hæc mea infelicitas! qui me vendidi, totumque regnum meum tantillo corporis oblectamento! O adoleſcentes, quàm præſentium incurii, tam futurorum improvidi! quàm viliori vos ſæpe recula, velut doloſo cibo illecti, libertatem, innocentiam, animam, & regnum æternum, uno temporis momento profunditis! ut non immeritò rugire præ dolore deberetis cum miſerando Eſau: ille, quòd vili lenticula primogenita vendidiſſet, Gen. 25.

25. vos, quòd oblevissimam, & sæpè lutulentam delectatiunculam à stygio aucupe, ejúsque adjutoribus pravis sociis obtrusam, gratiam DEI, & jus ad cælestem hæreditatem amiseritis.

CAPUT VI.

Choreæ ac saltus sunt decipulæ dæmonis, quibus Adolescentum animi captivantur.

SAltus quondam prima occasi o fuit quâ præceptorum digito Dei exaratorum tabula confracta fuit: nam cùm Israëlitici Dux populi Moyses appropinquâsset ad castra, *vidit choros* (ait sacra pagina) *iratúsque valde projecit de manu tabulas, & confregit eas.* Exod. 32. v. 19. Parem etiamnum effectum choreæ trahunt, quibus dum liberiùs indulgetur, certa eas plerũq; man-

mandatorum Dei fractio, id eſt, transgreſſio comitatur: nullâ decipulâ plures innocentûm animas dementat auceps ſtygius, quàm dum libero ad ſaltum pede provocat, & eum chorearum amorem injicit, ut ſe lætum egiſſe diem non credant, niſi copioſum ad ſudorem, membrorúmque omnium laſſitudinem, diem noctémq; mediam ſaltibus immolaverint, neſcientes majorem dæmoni, quàm ſibi, per choreas has lætitiam provocari: *Ubi enim Cytharœdi & chori, & plauſus manuum pedúmque, ibi Angelorum triſtitia & diaboli feſtum eſt*, ait Ephrē tom. I Nullibi libentiùs hic, quàm in propudioſis his conventiculis moratur, ubi copioſiſſimam longè animarum, laqueis ſuis irretiendarum, ſpem ſibi videt, gaudétque affulgere. *Ubi ſaltus laſcivus, ibi diabolus certè adeſt.*

adest. S. Chrysost. in Matth. Adest nō spectator tantùm, sed & actor, ut sanguinem saltu excitatum in concupiscentias inflammet; & ubi frœna licentiæ laxari videt, tantò faciliùs eos animis igniculos indat, qui in miserandum quondam incendium surrecturi, animam depascantur. Hic sanè si ullibi, fit *circulus* maximè *vitiosus*, ubi verecundia damnatur exilio, seponitur morum honestas, modestia venit in oblivionem, mentis integritas corporísque naufragatur, & horum locò scurrilitas, petulantia, oculorum auriúmque libertas dominatur, ubi risus immodici, gestus impudici, affectus minùs honesti, & quid non? ut non immeritò Guilielmus Abbas dixisse videatur: *Saltus est circulus, cujus centrum est diabolus.* Ad centrum tendunt omnia, communis

Sa-

Sapientûm eſt regula: utinam non verum eſſet, toties Adoleſcentes ad orcum tendere, quoties maleſano, vitioſóque hoc circulo rotantur in vertiginem, donec jocantes, & ſaltantes in puncto ad inferna deſcendant. *Facilis deſcenſus averni*, ô Juvenes! non eſt, quòd ſaltu eò properetis, quò vel innato naturæ depravatæ pondere, heû! nimiùm citò poteſt perveniri: natura vos ad malum ſatìs potenter impellit, non eſt, cur nova vitiorum incentiva, Veneris præludia, libidinum ſtimulos, laxamenta licentiæ (ità ſaltum vocat Petrarcha) inquiratis; ubi liberæ manus, liberi oculi, liberæ voces vos affectuum & cupiditatum veſtrarum facient eſſe macipia. *Impii in circuitu ambulant*, advertit Pſaltes regius, quibus nihilo meliores cenſendi ſunt ii artificioſi ſaltuum

cho-

choraulæ, fidicines, citharœdos, tibicines, & omnis generis musicos hìc intelligo, qui modis numerisque suis, in orbem salientibus animos addere consueverunt; esto enim, ipsi saltibus abstineant, omnium tamen pedibus saltare credendi sunt, utpote quorum sono, fidibúsque fascinati ad saltum pedes provocantur, nunquam in tam perniciosas deviaturi semitas, nisì propudiosi hi saltuum incentores aut provocâssent, aut promovissent; unde mirum videri non debet, paribus eos, aut fortè majoribus Divinæ Nemesis pœnis subjacere. Quas audaciæ suæ ultrices expertus fuit in oppido quodam Flandriæ publicus saltuum machinator & succentor: cùm enim dies enceniarum illuxisset, festivum satìs non credebat, nisì vesano chorearum tumultu festiviorem
red-

reddidiſſet: populum itaque tibiâ, cujus artem callebat, contentioſiori ſpiritu per plateas animatâ excitat, ad deſtinatum choreis locum, id eſt ad ſtatutum ſupplicio ſuo theatrum, neſcius evocat, cantúque pedes in ſaltũ movet, promovetque, cui dum inſano plauſu pluribus jam horis indultum eſſet, plerique ſeu laſſitudine victi, ſeu noctis jam ſpiſſioris caligine admoniti ſaltibus modum, finêmque ponere præparabant: tibicen ſolus, nè ab inceptis pedem revocarent, hortari, diei lætiùs actæ parem noctem jungendam ſuadere, ac domum parantes, novis modulis, ad ſaltum revocare. Interea Cœlum atras in nubes denſabatur, & repetito ſæpius tonitru immugiens ſceleratos monere audiebatur; verùm ſurdis fabula: ſuis enim immerſi deliciis vaniſſimi ſal-

tatores, quid in nubibus ageretur, ignorabant, donec vehementiori domus inclarescens fulgure ità omnes terruit, ut tibicinem ex iis solum prostraverit, cujus manum, quâ tibiam ori admovebat, fulmine cœlum castigavit, quam teterrimi duo canes à reliquo corpore avulsam, è spectantium trementiúmque oculis, surripuêre. Sylva. hist. lib. 7. ex 4. Luculento satìs documento, quantùm iis infensus sit cœli dominus, qui vel saltus instituendo, vel institutos operâ suâ promovendo, chorearum vel causa sunt, vel occasio. Vos verò juvenes, si probi estis, discite, quisquis vos ad saltum reluctantes pellicit, ab eo ut diaboli assecla & discipulo abhorrere: *Quis enim est*, quærit Ephrẽ, *qui primus choreas invenit, à quo suas filii carnis saltationes didicêre, quis talia*

lia

lia Christianos docuit? non sanè hæc eos docuit Christus, non Petrus, non Joannes Apostoli, nec ullus divino Nomine afflatus, verùm draco antiquissimus suis voluminibus docuit: serpens ille antiquus in gyros agi solitus hos orbes docuit, qui orbem in ruinam cursu veloci præcipitare valeant; tortuosus ille draco, qui innocentiæ depravandæ avidissimus est, saltuum & Magister, & spectator, & centrum est. Nec hìc tibi omnem eripi lætitiam, ac singula interdici gaudia, querâre juvenis; Lætum te, jucundúmque esse desidero, & morositate proscripta hilarem sinè nube frontem suadeo; sed eam te agere lætitiam velim, quæ ità mentem afficiat, ut mores nõ dissolvat, sic exhilaret animum, ut probitati non officiat, ità delectet, ut nec conscientiæ causet mœrorem, nec

infligat vulnus Innocentiæ. Audiatur Ambrosius: *Debet bene consciæ mentis lætitia esse, non in inconditis commessationibus, non nuptialibus excitata symphoniis, ibi enim intuta verecundia, illecebra suspecta est, ubi comes lætitiarum est extrema saltatio.* Lib. 3. de virg. Nec desunt hilaritates aliæ, quibus fatigatam laboribus mentem honestiùs valeas relevare. Saltus enim, si probè rem inspicis, non hilaritas, sed labor, non delectatio, sed molestia, non recreatio, sed fatigatio est: unde sapientissimè Fridericus Tertius hujus nominis Cæsar dixisse fertur: febricitare se malle, quàm saltare. Quæ enimvero hilaritas: pedibus humum quatere? insipientium more repetitum toties in circulū agi? pede nunc dextro, nunc sinistro subsilire? antrorsum, retrorsúmque gradi?

di? iter toties emensum remetiri? currendo sudorem elicere? &, ut verbo dicam, datâ operâ insanire! Alias tu, si sanus es, recreationes inquire, eas nempe, quæ nec corpori, nec animæ pariant detrimentum, & Hieronymiani memor moniti: *Tibicines & psaltrias, & istius modi chorum diaboli, quasi mortifera Sirenum carmina, proturba ex ædibus tuis, nisi decipula hac illectus captivam velis facere integritatem tuam.*

CAPUT VII.

Dæmon in spectaculis & comœdiis, velut personatus auceps innocentiam prædatur.

SI quando Divina lex innocentiæ conservandæ necessarium aliquod proposuit medium, tum sanè dedit

efficacissimum, dum avertere oculos jussit, nè videant vanitatem; quæ licèt Adolescenti puritatis suæ zelatori plurimùm semper commendata esse debeat, ibi tamen præcipuè venit observanda, dum seu innato nova videndi appetitu, seu juvenili curiositate, seu æqualium suorum exemplo ad publicos histrionum actus, ad comœdias non satìs ad honestatis regulam castigatas, ad spectacula invitatur, & allicitur. Idque tantò magìs, quantò natura nostra in malum projectior, majori rerum curiosarum videndi desiderio non tam fertur, quàm rapitur; quod expertus ità gemebat Augustinus: *Rapiebant me spectacula theatrica, plena imaginibus miseriarũ, mearum, & fomitibus ignis mei.* Lib. 3. Conf. Quæ spectaculorum aviditas tantò graviora Juvenibus parit incõmoda.

moda, quantò minùs ab iis creduntur esse periculosa. Hæc enim recreationis, aut temporis fallendi causâ plerumque se adire quisque causatur, & tamen, quis damna & pericula satìs valeat explicare, quæ curiositate hac, ad speciem fortè non adeò mala, incurrit innocentia? Ità nempe fit: auceps, ut tutiùs, certiúsque in retia compellat aves, se unà, laqueósque virore vestit, ac sub innocenti latitās fronde necem parat incautis. Par vaferrimi Alastoris inventum sunt spectacula, trahunt illa vestium comitate, actionum varietate invitant, & nescio, qua tacita dulcedine juvenum animos pelliciunt, sed & nihil tale cogitantes capiunt, & illaqueant. *Nihil est tam damnosum bonis moribus* (charum sibi Lucilium informaturus ait Seneca) *quàm in aliquo spectaculo*

desidere; tunc enim per voluptatem facilius vitia subrepunt. Ep. 7. ubi scelus non tantùm geritur, sed & docetur. Altiùs inhæret menti, quod per voluptatem quandam imprimitur, quò fit, ut post longa etiam temporum spatia eædem in mente imagines reproducantur, quas longè antè in spectaculis hauseramus, nec mortuæ illæ, sed adeò vivæ, ut etiamnum ad illicita, & inhonesta inflamment, & impellant voluntatem: *Multùm mali auribus invehitur, sed multò magis oculis, quasi fenestris bipatentibus in animam mors irrumpit; nil potentiùs in memoriam descendit, quàm quod visum subit; facilè audita prætervolant, conspectarum imagines rerum hærent etiam invitis.* Petrarcha lib. 30. Licèt enim illa teneri pudoris lupanaria, & publica obscœnitatis magi-

ſteria terminentur, dum comœdia ſpectatoribus dimiſſis finem ſortitur, phantaſmata tamen impreſſa, continuum caſtitati bellum indictura, ultro quàm credi poſſit, perſeverant. Quid purpurati Eccleſiæ Doctoris vitæ auſteritate rigidius, quid ſanctitate illuſtrius? áſſiduis carnem macerabat jejuniis, radicibus vitam trahere veriùs, quàm ducere contentus, ferreis corpus ciliciis, & repetitis indies, ad copioſam ſangvinis effuſionem, flagellis ſpiritui corpus ſubigebat, in ſcorpionum, ferarúmque ſpelæis, omni humano divulſus à conſortio eremum incolebat, diurnis nocturnìſque precibus, uberes inter lachrymas profuſis, ſupplex cœlum fatigabat, & tamen, quis crederet? inter tantas vitæ auſteritates & rigores, impuras illas imagines, quas incau-

tus

tus olim Juvenis Romæ in ſpectaculis hauſerat, ità compeſcere nequaquam potuit, quin ab illis ad illicita [ut ipſe ad Euſtochium ſcribens teſtatur) idẽtidem provocaretur; arrepto ſæpe vir ſanctus ſilice, mali conſcium pectus quatiebat; nec impura tamẽ phãtaſmata poterat everberare; profuſiſſimis juvenilem curioſitatem lachrymis damnabat, nec tamen igniculos, in ſpectaculis quondam conceptos, valebat ſuffocare. Adeò tenaciter hæret, quod teneris annis, animiſque hauritur; cera formam, quam mollis aſſumpſit, non deſerit: frangenda citiùs, quàm dimittat. Erubeſce hic tuam effrænis juventus curioſitatem, nec ampliùs Philoſophorum Principis monitum admirare: *Juniores comœdiarum ſpectatores non ſinat eſſe Legiſlator:* Ariſtot. lib. 7. polit. Laudo

Var-

Varronis ingenium, qui *ſcenam* ab *obſcœnis*, derivari advertit, meliùs fortè, veriúſque dicturus, ſi ex *ſcenis obſcœna* derivari, docerique pronuciâſſet. Qui ſuæ integritatis tragediam agere timet, comædias id eſt, innocẽtiæ corruptelas, & caſtæ mentis naufragia horreat frequentare. Quoties intemerata, canam uſque in ſenectã, prima floruiſſet integritas, niſi ſceleſtarum occaſione comœdiarum ſpecies menti impreſſæ puritatem, velut ex inſidiis adortæ, expugnâſſent, ut meritò cum gemente Propheta hodiedum lamentari poſſint plurimi: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.* Thren. 3. Quid oculi jactu levius? quid integritatis amiſſione poſſit eſſe periculoſius? & tamen vel una actio inhoneſta, quam hac in orchuſtra videas, verbum unum non ſatis verecundũ,

quo-

quorum plurima his in ſpectaculis audis, ſufficit, ut innocentiæ, ac fortè ſalutis æternæ jacturam incurras. Et ſi accuratam ubique locorum oculi habere cuſtodiam à Spiritu Sancto in Proverbiis jubemur: *Noli circumſpicere in vicis Civitatis.* Prov. 17. quæ audacia poſſit eſſe projectior, quàm datâ operâ eas frequentare hiſtrionias, in quibus ut frequentiſſimi, ità certiſſimi puritatis tuæ laquei latent abſconditi? Nemo ſuæ virtuti fidat: nemo ſe mæroris levandi, non animi fœdandi gratiâ, ſpectacula frequẽtare prætendat; ſed quisquis hæc iniquitati ſuæ palliandæ vela quærit, Auguſtinum is audiat, hæc de Alipio enarrantem. Erat hic adoleſcens Juris Romæ Studioſus, ut cæterà non improbus, ità in ſpectaculorum odio planè commendabilis; quem tamen cõ-
diſci-

discipuli diu vehementerque reluctantem, familiari semel violentia in Amphitheatrum, spectaculorum videndorum causà, ea tamen lege, venire coëgerunt, ut præsentem se corpore, mente autem ac oculo prorsus absentem futurum, tantùm non juraret; quò ubi ventum, & solitis jam, omnia, immanissimisque ferverent voluptatibus, propositi tenax Alipius oculos, nè in actiones illas licentiosiùs vagarentur, severissimè clauso cohibebat, atque utinam & aures obturavisset; nam, dum jocis theatralibus elatiori semel populus cachinno applauderet, curiositate victus, unicum oculo ictum facit, & ecce: ut vidit, periit, animæ perniciem momento hausit: *Non enim ampliùs ille*, verba sunt Augustini, *qui venerat, sed unus de procaci, ad quam venerat, turba*

 effe-

effectus rediit; quid plura: spectavit, exarsit, abstulit indè secum insaniam, quâ stimularetur videre non tantùm cũ illis, sed etiam præ illis, à quibus attractus est. Lib. 1. Conf. c. 8. adeò infeliciter expertus est id Alipius, quod aureum Os pronunciavit: *Spectacula & ludos adire, est intrare ad incontinẽtiæ gymnasium, ad cathedram pestilentiæ, ad impudicitiæ orchestram, in pessimum plurimorum malorum xenodochiũ, in fornacẽ Babylonicam.* S. Chrysost. Hom. 8. de pænit. Quanti curiositas venit? horaria oculorum delectatio tantum animæ thesaurum deprædatur! Audiant curiosi, audiant, qui ad spectacula, &(ut Tertulliani verbis utar,) propudiosa Veneris sacraria insaniunt, qui ad excusationes in peccatis dicunt: spectamus quidem, sed non movemur. Alipius coa-

ctus

ctus adire, cecidit, tam probus, tamq; innocens læsus est, & tu te putas non posse lædi? immanè quantùm falleris. Theophylactum audi, & sequere: *Nec monomachias, nec cætera spectacula spectare audemus. nè oculi nostri inquinentur, & aures nostræ audiant profana, & obscœna, quæ ibi decantantur.* Lib 3. Fugiat hæc, quisquis innocentiam non vult perditam; histrionias has caveat, qui gratum Deo, Angelis, & hominibus petit esse spectaculū.

CAPUT VIII.

Mali socii vetitorum lusuum cippo animas capiunt.

Quantò magìs necessaria studiosis potissimùm mentibus est animi relaxatio, quâ, seu studiis fatigatas, seu laboribus aliis, curisque fes-

ſas convenit reſpirare, tantò faciliùs ingenui tenerorum mores, ludorum occaſione depravantur; dum enim luſum etiam à probis vident adhiberi, vetitum à licito, honeſtum à noxio diſcernere nequeunt, quò fit, ut innocuè planè, nec ſatis advertentes, eò delabantur, ut ſeductos ſe, moribúſque depravatos priùs admirentur, quā adverterint, ubi, & qua occaſione, à primævo illibatæ vitæ tenore primùm deflexerint; paricibus fortè nō abſimiles, quæ, ubi ſe tutas ramo putant inſidere, lætæ ſinè cura ſubſiliūt, & priùs ſe cippo captas eſſe ſentiunt, quàm dolum latere incuriæ adverterint. Ludorum methodum, regulâq́, tradere res admodum eſt difficilis: omnis prohiberi, nec debet, nec poteſt; cùm luſus & eutrapeliæ deſerviat, & eum integerrimis etiam Adole-

doloſcentibus in uſu fuiſſe compertum habeamus; illud tamen univerſim Juvenibus conſultum velim: ut luſum omnẽ ſibi vetitũ putẽt, qui ſeu ob circũſtãtias, ſeu ob modũ, honeſtati reluctatur, quiq;, aut tempore, aut loco alieno ſuſcipiendus ſuadetur: *Inimica ſiquidẽ eſt amicitia, & ſeductio execrabilis, ubi dicitur: eamus, faciamus,* ludamus, *& pudet non eſſe impudentẽ.* Auguſt. lib 2 Cõf. Aleas certè, chartasque luſorias, quas chartifolia vulgò dicimus, Juvenibus interdictas eſſe nemo ignorat, in quæ concordi prorſus voce ſancti Patres adeò ſeverè invehuntur, ut ea Divus Cyprianus diaboli venabulum, S. Baſilius inferni pabulum, S. Antonius innumerorum malorum originem compellaverint. Quæ iis potiſſimùm luſibus convenire putem, qui propoſitæ mercede pecu-

niæ, & quæruntur avidiùs, & periculosiùs tractantur; ex hac quippe lucrandi aviditate præter pretiosam tēporis jacturam, & pravam, quæ imbibitur, consvetudinē, nascuntur fraudes, dissidiæ, rixæ, blasphemiæ, non rarò cædes excitantur. ut non immeritò in eos invectus exclamârit Cyprianus: *O noxia, seductoria, & pigra nequitia! O manus crudeles ad periculum sui armatæ, quæ bona paterna, & opes avorum sudore quæsitas, ignominioso studio dilapidant! O manus trux, noxia, & insomnis!* Quæ ludendi aviditas, & lucrandi cupido, ubi animum semel invaserit, difficilè dictu est, quàm ægre deseratur; nam si quem semel lucri cujuspiam participem fortuna fecerit, hac spe lactatus, noctes diebus junget insomnes, cibo potúque neglecto chartis inhiabiat, nec ullius hor-

hortatu, nec damnis propriis ab incepto revocandus, donec variante sortem Fortuna, & acquisita perdat, & perditis, æs, vestem, quidquid habet, superaddat, nec priùs tamen ludendi finem faciet, quàm ubi nihil, quod quod perdat, sibi superesse repererit. Quot non per lusus ad extremam redacti pauperiem serò tandem sapere didicerunt? quæ temporalium perditio tolerabilis foret; ast ea integritatis, animæque jactura, quæ lusus hos comitatur, nullis satis est lacrymis detestabilis. Ex lusu discitur acedia, ab acedia transitur ad avaritiam, ab avaritia ad dolos, à dolis ad furta, à furtis ad perjuria, à perjuriis ad jurgia, à jurgiis ad blasphemias, à blasphemiis ad cædes, ab his ad æternam animæ damnationem, gradibus, passibúsque celerrimis pervenitur: adeò

cumulatam é lusibus prædam sibi tartareus auceps vendicat, dum eorum occasione Juvenis non unius innocētiam tantò frequentiùs depravat quantò rariores hac ætate virtutum S. Stephani æmulatores reperiuntur, qui (teste P. Nadasi ad 7. Sept. in Anno cœl.) ut alearum chartarúmque consuetudinem, inter discipulos suos subrepentem, abrogaret, Ecclesiasticis dæmonem exorcismis eò compulit, ut talem se palàm oculis spectandum exhiberet, qualem se juvenes ad vetitos lusus allecturus fingere consuevisset; facit imperata dæmon, & dum terrifica illa vultûs deformitate fictam in lætitiam simulata, manu aleas, chartásque gerens comparet, eum apud spectatores omnes cum terrore horrorem excitat, ut extemplò ludis omnibus æternùm valedicerent, nisi

quos,

quos, aut proborum exemplum, aut honeſtas ipſa perſuaſura eſſet; pudebat nempe illos tam tetri allectoris illecebris morem gerere. Collyrio ſanè acri etiamnum juventus indigeret, ut craſſa mentis cœcitate depulſa, poſt tot damna & pericula malo ſuo edocta tandem cerneret, infernalem aucupem, qui circuit quærens, quem devoret, illicitorum luſuum, vel auctorem eſſe, vel per malos ſocios inſtigatorem; adeò verum eſt juxta mẽtem magni Baſilii: *Spiritus malignus ſemper aſſiſtit ludentibus*. Fidem hujus firmiorem faciat Thyemo, quem ità ludo deditum lucroque immersũ fuiſſe Cæſarius narrat, ut ſemper ſacculum cum nummis ſecum deferret, qui ſecum ludere volentibus præſto eſſet, fortunæ artique ſuæ confiſus, non die, non nocte quieſcebat; vix

ullus quippe ab illo finè crumenæ damno recedebat; quod enim arte non valebat, id fraudibus,& rixis exorquebat: nocte igitur quapiam lucronis hujus domum stygius auceps collusurus ingreditur, nec multis Thyemo se patitur sollicitari, ultro promptus advolat: nec mora, liberalis uterque tesseras animosus vibrat, ictuque sæpius repetito, cùm omnem propè Thyemonis pecuniam è crumena dæmon emunxisset, in iras ille, & rixas effervescens, ignarus, quem æmulum haberet, in collusorem fertur, dæmon miserum lusibus deditum arripit, & per tectum domûs corpore sublatum omnium oculis eripit. Lib. 2. c. 34. Exhorresce hic, quisquis legis, & omnem pro lucro, pecuniave ludendi consuetudinem horrere disce; nam licèt ad tanta fortè repentè scelera nō

pervenias, fraudes tamen, & mendacia vix cavebis. Præstat salutari Christi monito aures, animumque præbere: *Si manus tua scandalizat te, abscide eam & projice abs te*; quàm in tãta præcipitem scelera, & conscientiæ innocentis jacturam, per dexeram manuduci. Scelerata manus est, quæ pro aleæ, vel foliorum jactu animæ jacturam facit. Cave lusus hos, quisquis verè gaudere petis, & lucra contemne, si animã non vis perdere; chartas has cave, si nomen tuum in cœlo scriptum esse desideras.

CAPUT IX.

Libri obscœni sunt retia dæmonis, quibus Juventus irretitur.

Mira res! sed vera: mali socii etiã mortui seducunt, & vel ideo

plùs nocent, quia confidentiùs ea, magisque impunè docent, quæ vivi dicere forſan erubuiſſent; quos proinde vivos, ut peſtem vitare propoſuiſti, eoſdem mortuos etiam, ut innocentiæ tuæ ſyrtes, cavere memento: nam eſto mortui ſint, vivunt tamen, & nocentiſſimè vivunt in iis, quæ poſt ſe opera, flammis fumoque digniora, quàm luce, ad poſteros transmisêre. Litera non erubeſcit, ut fert adagiũ, & tamen multa ſæpe erubeſcenda cõtinet, per quæ verecundia, & probitas violatur. Adeò nec mortuis fidendũ eſt. Hi quippe per verſus impuros, per cantus honeſtatis limâ non ſatis caſtigatos, & libros verecundis oculis averſandos, quos ſuperſtites habent, plùs fortè, quàm ſi viverent, nocere poſſunt. Publici vitiorum, & turpitudinum præcones hi libri, velut totidem

dem explicata in jacturam Innocentiæ retia ſunt, in quæ ſi curioſum ſemel adoleſcentem ſtygius auceps impulerit, integritatem ejus tantò certiùs deprædatur, quantò libri hi moderatorum, juvenilem innocentiam curantium oculos plùs effugiunt, quantoque ſæpius ad eaſdem obſcœnitates volvendas patet recurſus. Nemo diu caſtus vivet, quisquis obſcœna incautus legit; hic, ſi ullibi, *mors intrat per feneſtram*. Libri inhoneſti, ut advertit Cicero, molliunt animos noſtros, nervos omnes virtutis elidũt. 2. Tuſcul. quæſt. ut ſic emaſculata virtute proni in ſcelera quæque ruamus; quo in genere principatum tenent non eloti ſatìs oris Pòëtæ, qui majori affectuum licentia in ſequiora ducti, aptiſſimos innocentiæ depravandæ caſſes texuerunt: *tenoros ne tã-*

ge

ge pòëtas! impurorum lusor amorũ, quasi pœnitens, monet Ovidius. Hic sane perspicaci opus est Argo; ut è tot profanis, unus, qui legi dignus sit, eligatur; non omnium Pòëtarum carmina fatidicam laurum loquuntur, multa myrthum, Deæ cypriæ sacram, sapiunt: cave, hanc quisquis sapis, latet anguis in herba. Pòëtam, quem volvas, cautè priùs inspice: non omnium chelys Minervam sonat; multorum cytharæ, Cythaream olent: nõ satis emunctæ naris est Naso: molle fœnum, quod facilè flammam concipit, cornu cum Tibullo præfert Catullus; non solo nomine Venerem inspirat Ovenus. nec quævis ità heroica sunt pòëmata, quin sociam Marti maritent Venerem. Hic sedulo Juvenis eget consultore, qui Vates inter discrimen doceat; *nè hi folles impuritatis,*

tatis, & luxuriæ flabra, (ita libros hos Novarinus compellat) ignem excitēt, non nisi uberrimis lachrymis extinguendum. Nec phrasis illinc ediscendæ vos ardor seducat: *quod si mihi dicis*, inquit magnus Aurelius, *hinc verba discuntur, hinc acquiritur eloquentia; respondeo: non omnino per hanc turpitudinem verba ipsa commodius discūtur, sed per hæc verba turpitudo ipsa confidētiùs perpetratur*. Mulcent quidē aures hi chartacei iniquitatis propolæ, sed mentem inquinant; alliciunt curiositatem, sed quæ caro nimis, innocentiæ nempe jacturâ, compēsetur; sub eruditionis velo perniciem fovēt, sub mellitis verbis venena, sub festivis salibus toxica, crimina sub carminibus, sub leporibus aconita propinant, fabulas canunt, ut tu fabula fias, Orco quondam victimanda. O quot

Adolescentes infelicissimi æternis nūc ignibus scelestam illam curiositatem luunt, quâ meretricio cusos in prælo libros volvere, revolvere, salutis incurii non destiterunt. Nunquam faciliùs juventus à probitate ad improbitatem seducitur, quàm per papyraceos hos lenones; vel semel legisse sufficit, ut immedicabile animæ vulnus infligas. Memorat gravis author, Patrum memoriâ quendam Adolescētem se familiariter novisse, qui in frequenti Athenæo modestiæ, virtutisq; omnis exemplar habebatur; non eum in rerum cœlestium studio priorem, non in placidissimis moribus parem, vix aliquem ex omni numero in laude innocentiæ secundum habuisse: rapiebat in se omnium oculos affectusque illa incedentis gravitas, illa suavitas loquentis. Audite Juvenes,

au-

audite, quæso, quàm levis in speciem occasio. quantam incauto adolescenti stragem maturaverit: non ille pervigil inter nocturnos grassatores bacchando, non cum diurnis aleatoribus consvescendo, sed ipso literarum, honestatisque ludo venenum imprudens hauserat, ut enim Pòétæ veteris nomē fortuitò prolatum laudari audiit, eũ sibi sciptorem, non quà impurum, incestumve, sed qua tersè latinum, nitidumque censuit continnò emendum: emptum legit, lectum probavit, probatumque suis illico non versibus, ut constituerat, sed moribus & amoribus expressit. Sensère mutatam indolem multi, & clàm aliquando ingemuêre, cùm in adolescente hoc priorem illum adolescentem requirerent Clades interim manifesta, sed causa cladis ignorabatur. Verùm haud

haud longè pòst apparuit simul & scaturigo mali, & remedii inveniendi desperatio, cùm præceps animus, jugò palam excussô, cœpit per omnia vitiorum abrupta ferri, paucisque mensibus is omnino esse, quem Magistratus publicus, quia ad frugem reducere non poterat infamiâ notatum, publico edicto ab Academia, urbeque proscriberet, veritus, nè, quantum aliis documentum fuerat ad Virtutē, tanto dehinc fieret ad flagitium incitamento (Ex Surio Lyræus lib. 7. apoph. 10.) Itâ litera occidit, tãtũq; potest incauta impurorũ lectio: nũquid satiùs huic fuisset Christi obtemperàsse mandato: eruendum esse oculum præcipienti, qui scandalo nobis esse possit; projiciatur liber, quisquis te sceleribus vult obstringere; igne pereat, qui flammas excitare natus,

est,

est, laceretur Vates, qui nocet integritati; præstat indoctum esse, quàm sacrilegum.

CAPUT X.

Finis tandem scelesti aucupii animarum mors & exitium.

Ecquo tandem obsecro, tam solicita aucupum tendunt studia? quid antelucanæ sibi volunt, nocturnæque vigiliæ, quibus sub frigido & aperto jove non raró excubant? satisne fortasse illis est misellas volucres allicuisse fistulâ, fefellisse laqueis, implicuisse visco, involvisse retibus, cippo tenuisse, ac pedicis? minimè verò: gula frangenda est; cum libertate amittenda vita, membrisque laniatis crudelis simul, ac delicata hominum fames exsaturanda. Hæc, si sapitis ô ado-

adolescentes innocui, perditorum est intentio, jugulare vestrâ animâ, virtutē interimere. Iidem, qui initio aucupes, tandem latrones evadunt; tantoque crudeliores, quantò immitiùs, non tam in corpus, quàm ipsam animam sæviunt, eamque innocentiâ suâ spoliatam æternæ mortis victimam faciunt. *Insidiemur sanguini*, inquiunt Prov. 1. *abscondamus tendiculas*. Latronum more non aperto marte, sed per insidias agunt; lucem fugiunt, tenebras amant, angulos quærunt, agnosci nolunt. *Latrones* ex Festi sententia nomen à *latendo* habent, quòd latenter insidientur: vel, ut alii volūt, *latro* dicitur, quòd à *latere* adoriatur, non recta fronte, & apertâ nequitiâ, sed per ambages & palliatā amicitiā.

O crudelis amicitia, & inimica planè familiaritas, lacrymas non sedu-

ductis modò, sed & horum spectatoribus excire aptissima! quis infaustã Belgici Adolescentis tragœdiam sinè lacrymis audiat! erat hic primâ Juventæ gratiâ, nempe proximo infra vigesimum annum, florentissimus, ut talentorum naturæ præstantiâ ità opum affluentiâ toto Belgio notissimus, qui pravæ societatis illicio seductus, morum, quibus in scholis Academicis fuerat imbutus, brevi oblitus, jam à puberibus annis petulantiæ omni assuetus, genio ad votum indulgebat, & quia neminem morũ suorum censorem audiebat, eò adductus est infelix, ut, dum sociorum persuasus exemplo latrocinii cujuspiam comitem ageret, à lictoribus captus, carceri, custodiæque mancipatus, non multò pòst capitis damnaretur. Hic prima se tragœdiæ

scena

ſcena explicat: nocte itaque Juveni triſti nuncio intimato, ſimul è Societatis JESU Collegio Sacerdos eum ad æternitatem paraturus evocatur, aderat hic, jam enim fatalis hora cataſtrophen exhibitura imminebat, carcerem ſubit, triſtitia propè enectum cernit, & ſalutat adoleſcentem, qui mutari illico vultu, mirari, ſtupentique ſimilis tantillùm hærere, donec poſt plures alternatium cogitationum æſtus, & variorum affectuũ luctas in genua provolutus, Patris manus oſcultari, eumque talibus affari cœpit: *Heu mi Pater! nullane mei te ſubit recordatio! ecce! quem vinctum, ſqualidum, jam jamque morte afficiẽdum extrema hic vides, diſcipulus ille quondam tuus, ô utinam diſcipulus! fuit* (annum hic, locum, claſſem, cõdiſcipulos ex ordine recitat] Hæret,

ſi

ſi unquam, attonito ſimilis Pater, fixuſque Juvenem intuitus, eum tandem eſſe quem ſe ipſe dicebat agnoſcit, nec ſine ſuſpirio, quî ad infauſtũ hunc ſtatum venerit, rogat: Juvenis pauca hæc, nec plura quippe ex ſingultibus & dolore poterat, verba egemuit: *ſcelerata malorum ſocietas huc me redegit*. Quis hic Patris ſenſus, quæ profeſſori mens fuerit, cogitate, quibus oculis Juvenem aſpexerit, quẽ olim ob ingenii præſtantiam, & tractabilem ad honeſta quævis indolem primis in amoribus habebat, cui omnem cum lacte pietatem parentes optimi inſtillaverant, quem ob candidiſſimos mores & vitæ integritatẽ omnes quondam ſuſpexerant, eum nunc ſcelerum convictum, compeditum, ad infame furcæ ſupplicium aſpicit condemnatum. Sed ut nullam malo,

malo, heu nimiùm aucto medelam supereſſe videt, ad generalem, & ſinceram noxarum exomologeſim hortatur, quam ubi inter veræ pœnitudinis teſtes, ſingultus & lachrymas abſolvit, adeſſe nunciatur hora neci deſtinata. Jamque carnifex funeſti officii neceſſitatem excuſaturus, veniamque de more petiturus adeſt, hic denuò concuti Juvenis, alterari, animo linqui, ſenſibusque deſtitutus inter brachia ſacerdotis collabitur: currunt illico, qui adſtiterant, & fomenta, vires, animamque revocatura ſubminiſtrant, quibus iterum ſibi redditus, ac à Sacerdote cauſam tam repentinæ mutationis rogatus, digito in lictorē intento, voce doloribus fracta: *Ecce mi Pater*, inquit, *hic Juſtitiæ miniſter, jam jam collo meo reſtim inſerturus, meus in claſſe eadem ſub te Magiſtro con-*

condiscipulus fuit. Qui talia fando temperet à lachrymis? Hærent omnes attoniti, agnoscit & in hoc suum Pater olim discipulum, hoc unum non suffecit admirari, quâ demum viâ tã proborum parentum sobolês, tantarum divitiarum (annua namque 12. florenorum Belgicorum millia in redditibus numerabat) hæres, tantæ & in literis capacitatis, & in moribus ingenuitatis adolescens ad tam abjectũ ministerium sit prolapsus, donec ipse factorum conscius veritate nihil imminuta rem ex ordine narrare cœpit, se nempe scholis absolutis parentũ curâ solutum, ac optimorum Professoris sui monitorum oblitum pravæ societati miscuisse, dies noctesque cum aleatoribus, ac compotatoribus transegisse, tandem post datum militiæ nomen gravi deprehensum in scelere,

ac morti cum sociis adjudicatum fuisse, cùm autem lictor, qui vinctorū scelera vindicaret, desideraretur, se, ut vitam servaret, ad tam ferale munus animum, manumque adjecisse, & pro carnifice obtulisse; id nunc unum se plurimùm dolere testatus, quòd in tam charum sibi quondam condiscipulum [reum intendebat] idem muneris cogeretur exercere: quare mutuas inter lachymas se amplexantur, & valedicunt. Jamque tempus eò deduxerat, ut tres simul, Professor nempe Confessarius, binique dispuli, reus unus, carnifex alter iisdem in scalis tristi spectaculo ad patibulum consisterent, quo animorum & affectuum motu? quis describat. Spectate tragœdiam! suspenditur tandem deturbatur, pendetque turpe funus Juvenis genere, fortunis, ætate. inge-
nio

nio nobilissimus; nunc à lictore condiscipulo, spectante utriusque Professore reste suffocatus: quo ità supplicio affecto brevem in sermonem erupit Pater, & quibus gradibus discipulus hic quondam suus ad tam infame mortis genus venerit, cujusque manu scelerum pœnas dederit, gravi oratione docet. Engelgrave in Fest. S. Cathar. Virg. & M. Quem utinam hodiedũ audiant adolescentes omnes, & discant, quis tandem pravæ societatis finis esse consveverit, nè serò nimiùm aliquando agnoscentes incuriam suam deflere cogantur. O miseros illos, qui per imprudentiam in latrones istos incidunt, ut peregrinus ille Jerichuntinus Lucæ 10. à quibus fœdè sauciatâ conscientiâ, deniq; experiuntur infelices, qua in navi, & quibus cum vectoribus deportati sint

ad inferos. Illos autem quis commiſeratione dignos cenſeat, qui infami latronum horum ſocietati ſe ultro addicunt, & in omnia ſcelera impiè ruunt, ſuæ, alienæque ſalutis proditores?

Non eſt tamen, quòd ſibi plaudāt execrandi hi animarum latrones, ſi tot ſubverſas mentes diabolo immolent. Jam væ illis æternum, quovis fulmine horribilius, intortum eſt: *væ homini, per quem ſcandalum venit!* Matth. 18. Væ ſcandalizanti â DEO, cujus opus ſummâ Sapientiâ, bonitate, ac potentiâ conditum, ipſiusque Divinitatis imagine inſignitum deſtruit, & exemplo, verbo, vel opere peſſumdat. Væ illi à Chriſto, cui maligna ſuggeſtione abſtrahit animam propriæ vitæ impendio, & ſanguinis pretio redemptam. Væ illi ab Angelis,

lis, Custodibus prælertim clientum illorum, quibus ponit offendiculum: graviùs enim, quàm dici potest, custodum horum offensam provocat: quia si gaudium est Angelis in cœlo super uno peccatore penitentiam agente; tantundem sanè contristantur, seu indignantur super uno justo, qui suâpte, vel alteriùs culpâ pervertitur; & si omnes, multò magis custodes, qui singulari zelo servant, & servare cupiunt animas sibi commissas; quo etiam instigante vindictam à Deo postulant in ejusmodi prædones. Væ illi à dæmonibus; tametsi illis seductor gratissimum præbet sacrificium, cùm alios secum perdit, nihil tamen aliud prœmii locò ab ipsis recipiet, quàm duplicatam pœnam, unam, quia se ipsum, alteram, quia proximum perdidit. Solet remunerari dæmon præ-

ſtita ſibi obſequia ad inſtar Pharaonis Regis. Exodi 1. qui còégit Iſraëlitas colligere paleas, totoque tempore occupari in operibus luti: demum verò pro mercede diriſſimè juſſit flagellari. Exod. 5. Væ demum illi à puſillis, quorum illibatam læſit innocentiam, & animam occidit. *Etenim omni plaga*, ut ait S. Chryſoſtomus in primâ Corinth. 8. *gravius est ſcandalum, cùm ſæpenumero mortem afferat*. Hinc ſicut ſanguis Abel ad cœlum extulit vocem, & vindictam in parricidam petiit; ità vociferabitur multò magis anima, perverſoris vitio æternæ morti tradita. Scribit Herodotus l. 5. Darium Perſarum Regem, ut ei nunciatum eſt, Sardes captas, incenſaſque ab Athenienſibus, juràſſe ſagittâ in cœlum excuſsâ, injuriam ſe ulturum, & cuidam famulorum præcepiſſe, ut ſibi

ſibi ſemper appoſitâ cœnâ diceret: *Here memento Athenienſium.* Simile quid agere concipiendus eſt Deus; cui tanta injuria infertur, cùm evertitur innocens anima pravo alicujus exemplo, ut propterea conſtituerit ſanguinem everſi, qui continenter coram Deo vindictam expetat in tam noxium caput.

Exemplum deſideratis? Thomam Cantipratanum conſulite l. 2. *Apum*, c. 30. Habuit ille adhuc adoleſcens coævum quendam parium ſtudiorũ charum imprimis, modeſtiâ ac pudicitiâ inſignem, ſed poſtea peſſimô cujusdam exemplô in tranſverſum actũ. Admonitus per familiares ſuos, nè ipſe tam præclari ſanguinis (nobilis enim erat) tantæque expectationis Adoleſcens, tantam infamiæ notam ſcelere illo inuri ſibi pateretur; retraxit

pedem aliquoties; sed consuetudine depravata pertinaciùs semper impellente, infelix toties rediit, dum Divina vindicta viam penitus, & vitam interclusit. Hospitati erant apud eum die quodam Nobiles nonnulli eodem stemmate oriundi, copioso stipati famulitio; solutaq; cœnâ, dum quieti, ac somno quisque se comparat, & hic in cubiculum, quod separatum habebat, secessit: ibi ille dum in lecto jam esset, clamare subitò, auxiliumque contentione, qua potuit maximâ postulare. Excivit ea res domesticos, herilique lecto properè stitit: attoniti clamoris causam diu indagant, nullã accipiunt. Decanus, aliique è Canonicorum Collegio accersiti authores ei fiunt, ut vitæ perperam gesta coram sacerdote deponat; sed nihil proficiunt. Fatigatus tandem adolescens

igne,

igne, horroreque, oculis ad Decanum conversis: *Væ inquit, illi, qui à recto seduxit me! Ad quid nunc Divinum auxilium invocabo? Ecce, jam video patulum tartarum, præsentes dæmones, & ad rapiendum me totis faucibus hiantes!* Cumque omnes, ut salutari potiùs crucis signo se communiret, cum lachrymis inclamarent, ille sinè sensu jam, clausisque oculis avertit faciem, dirasque voces emittere non cessavit, dum miseram animam efflavit. Attendite, quotquot estis, perversi juventutis corruptores; hoc est tremendum illud væ! quod contra vos & seductæ pusillorum animæ, & ipse Dei filius pronunciat. O væ terribile, quia æternum! ad quod qui non evigilat, ac resipiscit, vivens mortuus est.

CAPUT XI.

An, & quisnam in familiaritatē admittendus?

SPectâſtis, Adoleſcentes Chriſtiani, aucupium veteratoris ſtygii; vidiſtis potiores, easque malignisſimas artes, quibus à pravo conſortio tot millia juvenum cum Landelino in caſſes diaboli impelluntur, ſed pauci admodum cum eodem rurſus eliberantur. Veſtrum eſt alieno damno ſapere, & prudenti cautela declinare laqueos & retia, quibus S. Antonius totum propè mundum irretitum vidit, Neque tamen per hoc omni vobis familiarioris conſortii uſu interdictum velim: modò ſaluberrimum D. Hieronymi monitum locum habeat: *Tales*, inquit ad Nepotianum, *habeto ſocios, quorum contubernio non*

infa-

infameris, nõ ornetur veste, sed moribus, nõ calamistro crispent comæ, sed pudicitiã habitu polliceantur. Cùm enim juxta veterẽ paræmiam: *similis simili gaudeat;* & aves concolores simul volent, talis quisque censetur, qualis est, quocum versatur. Invaluit jam opinio, ab iis vivendi nos accipere similitudinem, quibuscum versandi hauserimus cupiditatem. Nec inanis est plerumque præsumptio: quia ex Sapientis effato, Prov. c. 13. *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit, amicus stultorum similis efficietur.* Et uti vinum dilutum colorem mutat, etsi non omnem vini virtutem perdat; sic boni nominis, ac famæ colorem amittit, qui admittit socios non dilutæ probitatis. Vis nôsse hominem? attẽde, quorum familiaritati assuescat: amicitia pares aut accipit, aut facit.

Cui

Cui famæ igitur, nominisque integritas curæ est, deterioris notæ socios quàm longissimè fugiat, nisi talis haberi velit, quales ipsi sunt.

Probum, ac honestum amicum diligere, colere, & ambire, non est, quòd vetem. Sed eum amicum elige, qui te ex bono meliorem facturus est, aut ex malo bonum. Qui recedentibus omnibus te non relinquat; qui in tristi æquè, ac læta fortuna fidem servet, suisque cōmodis accedere credat, quod amici servit emolumentis. Sed quis ille tādē Pylades? quis ille Achates? Ille, ille tuus custos Angelus, cui *mandavit Deus de te ut custodiat te in omnibus viis tuis.* Hic unus verè amici nomine compellari dignus est. S. Bernardum adhortantem audi in Psal. 12. *Habetote familiares Angelos, Fratres mei, frequētate eos sedula cogitatione, & devota oratione, qui semper vobis adsūt ad custodiam & cōsolationē.*

JAGELLONICAE

Cui
grit
quà
ber

lig
qu
qu
au
bu
tr
ve
qu
qu
te
ma
in
m
S.
Pf
E
ta
vi

Impensis quid Erat

Impensis ... Eri
quid Ert

Biblioteka Jagiellońska
stdr0017775